



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

III. De subiecto actionis eductiuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

aliquo infligente illud, quod patitur tanquam passionis principio, sicuti enim dare importat principium, quod datur, subiectum, cui datur, & rem, quæ datur; ita recipere dicit subiectum, quod recipit, rem, quæ recipitur, & principium, à quo subiectum rem accipit. Ita ipsa terminorum apprehensio rem propalat.

9 Affirmo actionem, & passionem dicere ordinem ad subiectum, & ad principium actuum, nihilominus formaliter distingui. Ita expressè testatur est Philosophus text. 22. toties repetito, quem ita concludit: *Nam huius ab hoc, & huius in hoc actum esse ratione diversum est.* Distinctio sumenda est ex diverso modo, quo actio, & passio utrumque respicit extremum; actio dicit principium actuum tanquam id, cuius est proprius actus, & passium non tanquam id, cuius sit actus, sed tanquam id, in quo est actus principij actui, itaque tantum actio subiectum tangit in obliquo tanquam aliquid requisitum ad actum principij actui; passio verò est contra subiectum respicit tanquam id, cuius est proprius actus & principium actuum tanquam id, à quo procedit actus principij passui, nullà habita ratione ad rationem actus, quam habet respectu principij actui illam entitas, quæ consideratur tunc vt actus principij passui. Doctrinam hanc opportunè satis explicuit Aristoteles exemplo acclivis, & declivis, eadem enim via respectu eorum terminorum acclivis, & declivis dicitur, & idem trames est à radice montis ad cacumen, & à cacumine ad radicem, si tamen à cacumine tanquam à termino à quo ad radicem tanquam ad terminum ad quem vias inspicias, declivem illam meditaberis: si verò à radice tanquam à termino à quo ad cacumen tanquam ad terminum ad quem mente tendas, viam acclivem concipies. Sic in nostro casu si actum illum identificatum physice cum actione, & passione consideres tanquam actum principij actui exercitum in passivo, actionem mente inspicis: si eundem consideres tanquam actum principij passui provenientem à principio activo passionem agnoscis, sic ex diversis modis tendendi in eosdem terminos diversæ inter eosdem tendentiæ concipiuntur.

10 Idem telum, quo impetebat asserentes, actionem, & passionem realiter distingui, iterum ludit Hurtadus num. 29. contra distinguentes adhuc formaliter actionem eductivam à passione. Sic arguit: idem est formaliter ignem calefacere lignum, & lignum calefieri ab igne: ergo actio & passio formaliter non distinguuntur. Ostendi suprà hoc argumentum non ostendere identitatem realem inter actionem, & passionem, non multum modò nos premet identitatem formalem negantes. Respondeo ignem calefacere lignum esse idem, quod ignem producere calorem in ligno, qui conceptus passivè significatur per hunc calor produci ab igne in ligno, & utique importat actionem, & est idem formaliter tantum diversis verbis significatus, non tamen convertitur cum isto: lignum recipit calorem ab igne, seu calor recipitur, seu calorem à ligno, iqui conceptus significat passionem, & non solum terminatione grammatica vocis actiue seu passivæ differunt, sed etiam in ipsa habitudine extremorum.

PUNCTUM III.

De subiecto actionis eductivæ.

1 R Estè docuit P. Soar. disput. 48. Metaphys. sect. 4. num. 12. non esse de ratione communi actionis habere subiectum, cui inhereat, quo actionem carere creaturam ostendam Controuers. sequenti; Modò non inquirimus de subiecto actionis creativæ, sed de subiecto, cui inhereat entitas, quæ est actio, & passio, siue formaliter vt actio ordinem dicat ad subiectum vt contendebar punct. præcedenti, siue tantum formaliter vt passio, & non vt docet Soar. modò citatus. Triplex subiectum excogitari potest respectu actionis, principium effectivum, subiectum termini, & ipse terminus. Reperitur etiam duplex actio, transiens, & immanens: immanens dicitur, quæ remanet in eodem principio, à quo fuit, de hac levis potest esse Controuersia, quia ipsa vox immanens videtur significare actionem à principio procedentem, in cuius sinu manere sine transitu ad aliud subiectum extraneum. Verumtamen si quis diceret actionem transeuntem recipi in termino

Franc. de Guiedo, Philosoph. Tom. I.

facile posset dicere actionem immanentem in eodem recipi, & differre à transeunte, ex eo quod actio immanens in termino recepta illum constituit in principio, à quo procedit actio; transiens verò in eodem termino recepta hunc collocat in subiecto distincto à principio effectivo. Transiens actio vulgo dicitur illa, quæ recipitur in subiecto distincto à principio, verumtamen definitiones supradictæ rationem actionis immanentis non explicant iuxta sententias differentes de subiecto actionis, sunt enim Doctores asserentes actiones etià transeuntes subiectari in principiis effectivis, definiuntur ergo prædictæ actiones apte ad omnium sententias his definitionibus, actio immanens est illa, ex vi cuius formaliter terminus remanet in principio, à quo fuit, & actio transiens est illa ex vi cuius terminus formaliter non remanet in subiecto, à quo fuit. Neque in definitione actionis transeuntis vtriusque naturam per conceptum positivum, & negativum explicui, uterque enim necessarius non est, quia actio creativa procedens à Deo non est in alio subiecto, & tamen non est immanens respectu Dei, & actio, quæ procedit ab anima, ex vi cuius terminus, & ipsa actio formaliter est in anima, & simul in materia etiam si sit in subiecto distincto à principio, videlicet in materia, immanens erit: suppono explicationis gratia non sufficere ad immanentiam subiectari in materia actionem procedentem à forma, sed materiam se habere tanquam subiectum omnino extraneum respectu actionis procedentis à forma.

His adhibitis definitionibus integra manet quæstio de subiecto actionis immanentis, vel transeuntis, licet enim, qui asserunt actionem non posse constituere terminum in subiecto, in quo ipsa non sit teneantur asserere, actionem immanentem subiectari in principio activo, & transeuntem in passio ab hoc distincto, qui tamen voluerint defendere actionem existentem formaliter in hoc subiecto, posse terminum in alio collocare, ex eo, quod actio immanens sit vel transiens, non tenentur illam potius in hoc, quam in illo subiecto constituere. Insurgit ex meis principiis contra has definitiones quedam difficultas, quam placet explicare, vt penitus viam aperiam quæstioni interroganti de subiecto actionis. Dum in anima disputo de immanentia actionis vitalis, affirmo, non requiri ad immanentiam formalem receptionem passivam in principio activo, sed sufficere vnionem: ergo si immanentia conuenit actioni ratione termini, actio immanens erit illa, ex vi cuius terminus vnitur principio: ergo omnis actio, ex vi cuius producitur forma cum vnione ad principium erit immanens, quia ex vi illius terminus manet subiecto vnitus. Respondeo, negando consequentiam, quia terminus non manet formaliter vnitus ex vi actionis producentis vnionem, sed formaliter ex vi vnionis, & causaliter ex vi actionis, quia actio productiva vnionis non est formaliter vnio, sed causalitas, per quam producitur vnio, & ad hanc immanentiam exposcit vt actio illa identificata cum termino, vel saltem quam ipse exposcat natura sua, ex vi cuius talis terminus producitur, sit formaliter vnio termini ad principium à quo procedit. His præmissis

3 Dico primò, de ratione actionis non est subiectari in principio, à quo effectivè procedit. Tradit hanc conclusionem P. Soar suprà contra Scotum, Caietanum, Pland. & alios. De actione procedente à causa prima tenentur concedere id omnes, quia asserunt distingui à Deo, qui nullum accidens superadditum potest subiectari in Deo: asserentes actionem identificari cum aliquo intrinseco Dei efficaciter impugnauit punct. I. Ex causa prima increata ad causam secundam creatam gradum facio. Causa prima verè est causa, & in actu secundo constituitur causans, & efficiens per actionem non receptam in ipsa, sed in extraneo subiecto: ergo causa secunda poterit eodem modo efficiens constitui, & in actu secundo causans per actionem non receptam in illa, sed in alio subiecto. Dices specialem esse rationem de causa prima, quia in illa non potest subiectari actio, cuius secunda est capax. Contrà: non infero ego causam secundam non recipere actionem ex eo immediatè, quod illam prima non recipiat, sed posse causam secundam constitui actu causantem per actionem in ipsa non receptam, sicut constituitur prima, quia si de ratione principij efficientis in actu secundo esset actionem recipi in principio, quod efficiens constituit, non potest actio constituere efficiens effectivum illud, in quo non posset recipi: ergo actio, quæ non posset recipi in Deo, non posset

A a Deum

Deum efficientem constituere; atqui potest: ergo non est de ratione principij efficientis actionem in se habere: ergo igitur ex eo, quod calorem efficiat non in se calefactionem recipit. Rationem à priori pulchrè reddit P. Soar. suprà: agere præcisè non est perfectio intrinseca agentis, neque aliquid dicit in illo, sed tantum dicit aliquid fluere, seu oriri ab illo, quod rectè intelligitur ex eo præcisè, quod operatio egrediatur à principio effectiuo, & ab illo essentialiter dependeat.

4 Obiiciunt aduersarij: Actione denominari principium actiuum agens quem formalem effectum non posset præstare, si non inhaereret principio actiuo. Secundo non posse esse in alio subiecto, quia illud denominaret efficiens, forma enim essentialiter dat effectum formalem subiecto, cui inhaeret. Respondeo actionem non inhaerentem principio posse illud efficiens constituere, sicuti visio non inhaerens obiecto, illud visum denominat, & eadem actio in ipso sententia constituit terminum effectum, & dependentem ab hoc principio, & illi non inhaeret. Ad illud, quod dicitur de effectu formali, dixi sæpè effectum formalem nihil aliud esse, quam totum resultans ex subiecto, & forma, quod constituit actio, non cum hac denominatione agentis, sed passi, quia forma non subiicit subiecto, neque concreto, quod simul cum illa constituit denominationem illam, quam tribuit principio illius extrinseco, sic eadem entitas principio effectiuo, cui non inhaeret agens denominat, & passiuo, cui inest, passi denominationem tribuit.

5 Dico secundo. Actio non subiectatur in termino. Probo hanc conclusionem: terminus essentialiter dependet ab actione tanquam ab aliquo tenente se ex parte principij effectiui, medio quo ab hoc recipit esse: ergo non potest intelligi prior natura ipsa actione: ergo non potest esse causa materialis. Si recurras ad mutuas prioritates in diuerso genere causæ jam doctrinam istam validis impugnationibus conculsam inuenies, quæ si illas adhuc sustinisset, hic necessariò rueret. Etiam si duplex entitas possit sibi mutuo esse causa in diuerso genere causæ, tamen eadem entitas non potest esse causa sui ipsius: ergo nulla entitas potest esse principium causalitatis sui ipsius: ergo non potest esse principium passiuum causalitatis ex vi cuius producit. Antecedens negabitur: Consequentiam probo: esse causam alicuius entitatis nihil aliud est, quam esse principium causalitatis, ex vi cuius producit, & idè dicitur ignis causa efficiens huius caloris, quia est principium causalitatis, ex vi cuius calor producit: ergo idem calor dicitur causa materialis, seu patiens ipsum calorem, si est principium passiuum causalitatis, ex vi cuius producit calor. Dices, disparem esse rationem, quia ignis distinguitur à calore, calor verò non distinguitur à se ipso, & idè ignis est causa caloris ex eo quod sit principium suæ causalitatis, & calor non est principium sui ipsius. Contrà: Intendo ego in te probare eundem terminum esse causam sui ipsius, & ad hoc te trahere absurdum: ergo petis principium dum asseris terminum non esse causam sui ipsius, etiam si sit principium suæ causalitatis. Vt ergo si actio productiua mei à me procederet tanquam à principio effectiuo, ego me ipsum actiue producerem: ergo si eadem entitas procederet à me ipso tanquam à principio passiuo, ego me ipsum passiue causarem.

6 Difficile aliquibus visum est explicare quomodo actio distincta à termino, & illi non inhaerens illum existentem constituat, quod difficilius reddit multorum loquutio asserentium actionem in genere causæ formalis constituere effectum: difficultatem propositam & loquutionem prædictam facile explicabo. Duo habet actio, (vt rem explicè, loquor de actione productiua caloris, idem de quacumque alia dicturus) calorem extrahere à potentia causæ, & illum existentem constituere: aliud ex calore existente, & ipsa actione constituere complexum quoddam, quod dicitur dependens, quod pro materiali includit calorem, & pro formali dependentiam, quam habet calor. Primum illud officium exercet in genere causæ efficientis, & non in genere causæ formalis, quod sic probo: causare in genere causæ formalis, est causare componendo, sed actio productiua caloris non componit entitatem caloris secundum se: ergo non causat illam in genere causæ formalis. Confirmatur: effectus causæ formalis non distinguitur secundum se totum à forma, quia forma est causa intrinseca in adæquatè

identificata cum effectu, sed calor secundum se totum distinguitur ab actione, ex vi cuius producit: ergo non dependet ab illo in genere causæ formalis, seu tanquam à forma, sed in genere causæ efficientis tanquam à causalitate adæquatè ab illa distincta: ergo rectè intelligitur causalitas actionis, seu actio vt causalitas sine inhaerentia actionis in termino, quia si ad aliquod causalitatis genus requiritur inhaerentia tantum est ad genus causæ formalis. Secundum munus videlicet constituere hoc concretum calor dependens, seu calor productus, præstat in genere causæ formalis, quia concretum hoc dicit duo, calorem & dependentiam, hanc tanquam formam, & illum veluti materiam, ex quibus coalescit, non tanquam compositum essentialiter constans materia, & forma, strictè sumptis, quia actio non est propriè forma sui termini, cum neque ex illo educatur, neque vniatur illi, quia tamen illi denominationem tribuit dependentis, & verè illum dependentem constituit aliquo modo illius forma dicitur, sicuti visio dicitur forma concreti visum quamvis subiecto, quod denominat sit nimis extrinseca.

Dico tertio. Actioeductiua subiectatur in passo seu in subiecto, quod terminum ex vi illius productum recipit. Id tradunt Aristotelis verba toties repetita: *Actus huius in hoc*: id colligitur ex conclusionibus præcedentibus à sufficienti partium enumeratione, quia si actio non recipitur in principio effectiuo, neque in termino, tantum illi restat subiectum in quo terminus recipitur. Efficacius eandem conclusionem suadet identitas actionis cum passione, & ratio à priori quam expono, rem ostendit. Actioeductiua constituit terminum dependentem à subiecto, & est id, medio quo subiectum recipit terminum: ergo debet ipsa recipi in eodem subiecto, non enim alio modo recipitur causalitas, ex vi cuius producit. Confirmatur: implicat effectus dependere in genere causæ efficientis ab aliquo principio, quæ ab eodem principio in eodem genere non dependeat: ergo implicat dependere in genere causæ materialis ab aliqua causa medià causalitate, quæ ab eadem causa in eodem genere causæ materialis non dependeat: ergo implicat calorem dependere à ligno tanquam à subiecto medià passione identificata cum actione, quin passio, seu actio dependeat ab eodem ligno tanquam à causa materiali, & in illo subiectionetur. Primum antecedens de causalitate principij effectiui nullus negat: consequentia est optima desumpta à paritate, quam fundat in vtraque causi ratio à priori, quam modò adduxi ad hanc conclusionem probandam.

PUNCTUM IV.

An actio primò productiua, & conseruatiua sit eadem numero?

Nonnulli apud Patrem Lessium de perfectionibus diuinis lib. 10. cap. 4. quos ipse non expresso nomine refert, sensere creaturas minori concursu indigere vt conseruentur, quam vt primò producantur, qui in ipsa entitate virtutem, quamdam confingebant, qua se ipsas conseruent cum solo concursu generali causæ primæ, sicuti cum eodem concursu entitates alias eiusdem rationis producant. Contra hunc dicendi modum, doctè & eruditè agit Lessius suprà: eundem efficaciter impugnat Arriaga disp. 9. sect. 9. Ego tamen in illo refellendo non immoror, quia nihil in illo, neque impugnatione dignum inuenio, & illius falsitas ex dicendis pro communi sententia clarè constabit, & per se omni probabilitate alienum apparet rem creatam habere virtutem aliquam conseruandi se, neque in bonum sensum explicari potest hanc virtutem reduci ad actum concursu generali causæ primæ. Quia si hoc significet conseruationem esse actionem prouenientem physicè ab entitate conseruata & à Deo tanquam à causa prima omni probabilitate caret, quia dici nequit entitatem esse principium actionis terminatæ ad se ipsam. Eadem enim est difficultas de actione conseruatiua, & de prima productiua, ad vtramque enim debet supponi existens principium, à quo fluit antequam intelligatur actio procedens ab illo quod fieri non potest, quia omne ens creatum principium habet à quo procedit in illo instanti, in quo existit, siue in primo, in quo producit, siue in secundo, in quo conseruatur. Si dicant conseruatiua